Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dissertatio Theologica De Hypocrisi Pharisaeorum Ex Matth. Cap. XXIII$quam Praeside Joanne Christophero Pfaffio ... defendam suscepit Joannes Fridericus Mack

Pfaff, Johann Christoph
Mack, Johann Friedrich

Tubingae, 1720

Cap. XXIII. Matthaei

urn:nbn:de:bsz:31-130312

Visual Library

Cap. XXIII. Matthæi.

℣. 18.

ET æque dicitis si quis juraverit per aram nihil est & impune fallere potest. Adeò elevabant Pharisæi juramenta per creaturas facta. Quicunque autem jurat per donum, s. sacrificium, conf. Matth. V. 23. quod est super ipsa, tantum quia sacerdotibus cedit, Matth. XV. 5. reus est si violat juramentum. Adeo avidè hi vultures sacrificiis inhiabant & ut populum ad donaria eo largiora excitarent, auro reliquisque muneribus sanctitatem tribuebant quam maximam.

℣. 19.

Stulti ex inopia judicii & cœci ex φιλοχρυσίᾳ utrum quæso majus est? munus an ara, quæ prope ut oratio cibum, 1. Tim. IV. 5. sanctificat id munus. Minus sanctificatur à majori. Ebr. VII. 7.

℣. 20.

Qui ergo juraverit per aram, transitive jurat per ipsam, adeoque non terminative & per omnia consequenter, quæ sunt in ipsa. quo respectu (aræ sc.) nec proprie nec legitime juratur, sed totus actus, si in se spectetur, nil nisi vehemens asseveratio gravisve obtestatio quibusdam esse videtur, ac si diceres: Quam vere ara oblationibus inservit, tam vere hoc faciam, &c. V. S. Schmid Fasc. Disp. p. 664.

℣. 21.

Et qui juraverit per templum, jurat tam per au-

rum, quam per ipsum templum, & per eum, qui, non tamen inclusive I. Reg. VIII. 23. 27. Jer. XXIII. 24. Act. XVII. 24. sed gratiose I. Reg. IX. 2. II. Par. VII. 16. habitat in ipso. Quibus tamen Christus non probavit nedum præcepit juramenta per creaturas, quod hæ nec omnisciæ sunt nec omnipotentes, quo minus in testes vocari atque vindices esse possunt, unde nec pro juramentis per viva Dei templa, sanctos sc. Pazmannus ac Maldonatus aliquid h. l. metunt, sed per solum Deum, terminative jurandum est Ex. XXIII. 13. Deut. VI. 13. X. 20. Jer. V. 7. Zeph. I. 5. een per majorem, Ebr. VI. 16. Quando autem in juramento creatura numinis ad instar concipitur, certe in thronum evehitur Dei qui tali juramento quam maxime offenditur Jes. XLII. 8. vid. Danhaur. I. B. J. p. 247.

ỳ. 22.

Et qui juraverit per Cœlum, Matth. V. 34. jurat per thronum modò Dei Jes. LXVI. 1. Quis verò thronum Regis adorat? & per eum qui sedet super eo. Nec ex his verbis sequitur, recte jurasse Pharisæos, sc. per creaturas, sed iis hoc potius innuit Christus, quod juramenta per creaturas facta tamen obligent, nec violati queant sine perjurio. In Deum enim ipsum ex intentione feruntur talia juramenta, & obligant ut conscientia quoque erronea obligat & sicut Turca per Alcoranum jurat, non audit Alcoranus jurantem, & tamen punit Deus fallentem. Quæ verò juramenti per creaturas facti obligatio minimè arguit, quod ita jurare fas sit. Sic juramenta enim & per deastros facta obligatoria sunt, nec tamen licita. Nec non matrimonia cum in fidelibus contracta rata quoque sunt, nec tamen legitima. v. Danhaur. Coll. Dec. p. 502.

ỳ. 23.

Væ vobis Scribæ ac Pharisæi hos fuisse distinctos constat ex Luc. XI. 42. 43. 44. ut scribarum nomen fuisse officii,

horum

horum autem sectæ videatur, hypocritæ. Hypocrisis quam maxime in scribis ac Pharisæis culpatur, quod in externis se potius exercet quam in magis necessariis. Ps. V. 10. LXXVIII. 36. Jes. VII. 12. Matth. XV. 8. Luc. XVIII. 12. qui decimatis scrupulosissimè Luc. XVIII. 12. non tantum ipsi, sed urgetis etiam solicite, ut decimæ ab aliis quoque exactæ solvantur juxta legem Num. XVIII. 21. Deut. XIV. 22. & mentham & anethum & cyminum & quodvis vile olus. Luc. XI. 42. & reliquistis hactenus quæ majoris momenti & graviora sunt Legis Mor. & Cerem. in oppositione ad hanc viliorum olerum decimationem judicium æquum de proximo Joh. VII. 24. VIII. 15 16. misericordiam Matth. IX. 13. Zach. VII. 9. & fidem salvificam intelligunt Hunnius. S. Schmid in Dec. Difpp. p. 123. Hanc enim fidem Pharisæi doctrina operum quam maxime obscurarant. Gerhardus verò in H. E. f. m. 587. fidem in proximum & sinceritatem, quæ fidei nomine venit Lev. VI. 2. 2. Sam. XV. 20. II. Reg. XII. 15. & utramque *fidem* Pharisæi negligebant, persecutione tum ipsius Christi, tum fidelium, *misericordiam* regnum cœlorum coram hominibus claudendo, domus viduarum devorando, proselytos in gehennæ filios convertendo, *judicium*, contemtu proximi Luc. XVIII. 11. hæc enim legis graviora (quæ proximius subjectum) judicium misericordiam ac fidem oportet facere & illa leviora non omittere utpote divinitus quoque præcepta. Lev. XXVII. 30. Quicquid Deus præcepit, sive grave videatur, sive leve, observandum est Matth. V. 18. 19. XX. 38. 39. Jac. II. 10. II. Paral. XXXI. 5.

℣. 24.

Duces cœci conf. Matth. XV. 14. Rom. II 19. qui excolatis culicem i. e. præcepta minima e. g. de vilissimorum olerum

olerum decimis ſcrupuloſe & ad ſuperſtitionem usque urgetis. *Culicis* enim nomen ſæpe pro re ponitur minima præſertim in proverbiis & ſi parva licet componere magnis e,g. *culicem elephanti conferre* & apud Lucianum in encomio muſcæ. *ex muſca elephantem facere* dicitur. Nec tamen hoc inſuper habendum, quod Adrianus IV. Pontifex inter bibendum hauſtâ muſcâ ſuffocatus ſit. apud Nauclerum fol. 764. camelum vero deglutitis i, e. præcepta maxima de judicio, miſericordia atque fide minimi facitis. Camelus enim paſſim in proverbiis ſymbolum eſt rei maximæ e.g. Matth. XIX. 24. *Facilius camelus per foramen acus tranſibit &c.* Elephas muſcas capit, dum Bellarminus quædam hic peccata culicibus, alia camelis conferri ſupponit, quæ mortalia vocat, illa vero venialia. Lib. I. d. amiſs. Grat. c. IX. fol. m. 79. Verum enim vero Theologia hæc parabolica non eſt argumentativa, quia comparatio à Chriſto inſtituta eſt non inter peccata, ſed præcepta, ſequeretur alias, quod Chriſtus peccata juſſerit majora facere & minora non intermittere. Aptius nos Bellarminum ac ſocios cum Phariſæis comparamus. Culicem enim excolant eſum carnis die veneris pro piaculo habendo, eodemque die crapulam parvi pendendo camelum deglutiunt.

℣. 25.

Væ vobis Scribæ ac Phariſæi qui omnia facitis πρὸς τὸ θεαθῆναι & purgatis conf. Jeſ. LXVI. 17. exterius poculi & patinæ juxta traditiones veſtras Marc. VII. 3. 4. 5. vid. Lex. Talmud. Buxtorff. f. 644. interius autem ſcatet corraſis per fas & nefas, per vim & fraudem, rapinis conf. Hiob. XX. 14. 15. Ez. XXVIII. 16. & cor veſtrum intemperantia. Luc. XI. 39. II. Petr. II. 14. Ita opes non tantum honeſtum acquiſitionis titulum poſcunt, ſed honeſtum quoque uſum, quorum utrum-

utrumque h. l. desideratur in Hypocritis, quos similiter & R. Salomon. F. Gabirol describit: *ostentant*, inquit, *animam puram & mundam sed sub ea latet lepra, similes sunt vasi pleno immunditiæ, extrinsecus loti sunt aquâ fraudis & astutiæ, sed quicquid intus est in medio eorum, immundum est & impurum.* apud Capell. in Spicil. p. 29. Nec melius Clerus Pontificius per indulgentiarum quæstum capta & rapta deglutit.

℣. 26.

Pharisæe cœce cui videtur oculum Dei non penetrare in cor, sed hærere tantum in externis 1. Sam. XVI. 7. purga prius per abstinentiam & eleemosynas, ante omnia autem cor per sanguinem Christi 1. Joh. I. 7. Ap. I. 5. fide apprehensum Act. XV. 9. quod est intra poculum & patinam, præsertim intemperantiam in corde Matth. XV. 17. 18. 19. 20. Marc. VII. 18. 19. 20. 21. 22. 23. Ut id quoque fiat quod extrinsecus est, purum. *Mundis*, in corde, *sunt omnia* externa, *pura*, Tit. I. 15.

℣. 27.

Væ vobis scribæ ac Pharisæi Hypocritæ in peccatis mortui quod similes estis sepulchris tum ἀδήλοις, quoad interna Luc. XI. 44 tum quoad externa, calce dealbatis conf. Ezech. XIII. 10. 11. Act. XXIII. 2. Ligfot: H. Ebr. f. 359. & B. Nicolai d. sepulch. Ebr. p. 233 quæ autem foris apparent hominibus speciosa atque picta. Eadem prope similitudine omnes depingit simulatores Seneca quoque: *Miramur parietes tenui marmore inductos, cum sciamus quale sit, quod absconditur. Oculis nostris imponimus. Et cum auro tecta perfundimus, quid aliud, quam mendacio gaudemus? Scimus enim sub illo auro fœda ligna latitare. Nec tantum parietibus aut lacunaribus ornamentum tenue prætenditur, omnium istorum, quod incedere*

dere altos vides, bracteata felicitas est. Inspice & discces, sub ista tenui membrana dignitatis, quantum mali lateat. Epist. CXV. fol. m. 652.

℣. 28.

Sic & vos foris quidem apparetis hominibus externa tantum & quæ coram sunt ac ante oculos contuentibus I. Sam. XVI. 7. justi Matth. VI. 16. 2. Tim. 3. 5. intus autem non tantum obnoxii, sed plane pleni non tantum hypocrisi sed & iniquitate Ps. V. 10. estis. Virulentum Jesuitæ, Becani, scomma est in illos qui justitia Christi imputata ornari gaudent, dicentis: *similes esse sepulchris dealbatis, quæ intus plena sunt ossibus mortuorum & omni spurcitia.* Opp. f. m. 148. b. At nec cum albedine justitia tam imputata convenit, quam inhærens nec sepulchris similes sunt renati, in queis peccatum modo habitat ut in Apostolo, qui nihilominus verum Spiritus S. fuit templum, quam in quibus plene regnat ut in induratis Jesuitis.

℣. 29.

Væ vobis Pharisæi & Scribæ, hypocritæ qui ipso facto mensuram impletis crudelitatis, quam in Patribus vestris opipara sanctitatis ostentatione damnatis quod sc. ædificatis sepulchra Prophetarum Martyrum, conf. 2. Reg. XXIII. 17. & ornatis monumenta justorum conf. I. Macc. XIII. 27. 28. 29. & Gej. d. luctu Ebræorum, c. VI. §. 25. p. m. 119. Judæi ita Pontificio Reliquiarum cultui præluserunt, quicquid etiam Bellarminus dicat Lib. II. d. Rel. c. 4. Tom. II. f. m. 754.

℣. 30.

Et dicitis contra vosmet ipsos conf. Sap. IV. 6. si fuissemus diebus crudelium Patrum nostrorum, non consensissemus, nec essemus socii aut complices uti illi Jer. VII. 18. in tribulatione varia conf. §. 34. & sanguine Prophetarum,

conf.

conf. §. 35. Indigna genuinis liberis hypocrisis est, vitium, in quo hærent ipsi culpare in majoribus Jer. XXXI. 29. Thr. V. 7. Vestigia Pharisæorum multi in Papatu premunt, qui sepulchra quidem Martyrum ornant, & tamen multos ipsi ad martyria trahunt.

℣. 31.

Proinde testamini ipso facto, conf. Luc. XI. 48. adversus vos ipsos ἑαυτοῖς pro ἐφ' ἑαυτοῖς conf. Marc. VI. 11. I. Cor. XI. 29. II. Petr. II. 1. quod filii estis ejusdem indolis, conf. Matth. V. 45. & vestigiis eorum in sistendo impletis mensuram patrum qui Prophetas occiderunt. Nihil durius judicio quod recidit in judicem. 2. Sam. XII. 5. 7. I. Reg. XX. 40. Matth. XII. 37. Luc. XIX. 22, Tit. III. 11.

℣. 32.

Et vos Pharisæi progenies viperarum implete πληρώσατε, non sumitur h. l. in imperativo, ut Ph. II. 2. sed vel ironice uti Christus dixit: *dormite* Matth. XXVI. 45. vel permissive ut Joh. XIII. 27. ubi Judæ dixit: *Quod facis, fac cito.* Quis enim credat, quod Christus Pharisæis præceperit summum peccatorum gradum? mensuram Patrum vestrorum sc. in sanguinolentia & cæde ipsius filii, conf. Gen. XV. 26. Ps. LXXVIII. 8. Act. VII. 51. Zach. V. 6. I. Thess. II. 16. cui respondet mensura pœnarum 2. Reg. XXI. 13. Nec tamen ex mensura patrum inpletâ impœnitentia dici potest inemendabilis, uti Bœsio visum. Mensuræ enim illius pœnituisse Paulum constat. Sed potius h. l. colligas, *malorum corvorum mala ova*, de queis Horatius quoque Lib. III. Od. 6. p. m. 73.

Ætas Parentum pejor avis tulit
Vos nequiores, mox daturos
progeniem vitiosiorem.

℣. 33.

℣. 33.

Vos quidem erigitis cristas, quod filii auditis Abrahæ Matth. III. 9. Joh. VIII. 33. 37. 39. sed serpentes estis, qui morsu virus habent & fatum in dente minantur, venena enim falsæ doctrinæ Deut. XXXII. 33. & maledicentiæ necant quoque, conf. Syr. XXI. 2. Plenius hoc Chrysostomus evolvit Hom. III. *Viperæ à foris speciosæ sunt ac quasi pictæ*, inquit, *ab intus autem plenæ veneno, ita isti hypocritæ pulchritudinem sanctitatis ostendebant in vultu & venenum malitiæ portabant in corde.* & genimina viperarum estis enim à Patre diabolo Joh. VIII. 44. qui serpens antiquus 2. Cor. XI. 3. Apoc. XII. 9. Theophylactus quidem Chrysostomum secutus vult Pharisæos genimina viperarum h. l. vocari, ut & Matth. III. 7. XII. 34. eo quod sicut viperæ exedentes viscera matrum atque ita occidentes Matres suas nascantur, similiter Pharisæi Patres, h. e. Magistros & Prophetas occiderint. Verum enim verò non videtur verisimile ad rem alludi fabulosam à Christo cumque viperis conferri S. Prophetas. Vid. Bocharti Hieroz. Part. II. f. m. 375. quomodo effugietis judicium gehennæ conf. Matth. III. 7. V. 22. XXIII. 38. Quod hæc viperarum genimina mansit judicium, commodè h. l. denominatur à *gehenna*, quia in valle Hinnon, Pharisæorum Majores filios suos ac genimina Molocho adolebant 2. Reg. XXIII. 10. Quo Hieronymi observatio spectat in Matth. X. 28. *Nomen gehennæ in veteribus libris non invenitur, sed primum à salvatore ponitur. Quæramus ergo, quæ sit sermonis hujus occasio? Idolum Baal fuisse juxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis & parva campi planities irrigua erat & nemorosa plenaque deliciis, lucusquè in ea idolo consecratus erat. In tantam autem dementiam populus Israel venerat, ut deserta templi vicinia ibi hostias immolaret & rigorem religionis deliciæ vincerent, filiosque suos dæmoniis incenderent vel initiarent. Et appellatur*

pellatur locus ille gehennon, i.e. vallis filiorum Hennon. Hoc Regum volumen & Paralipomenon & Jeremias scribunt plenissimè. Et comminatur Deus, se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum, ut nequaquam vocetur Tophet & Baal, sed vocetur polyandrium, i.e. tumulus mortuorum. Futura ergo supplicia, & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt hujus loci vocabulo denotantur. Tom. IX. f. m. 31. a. Et ita punit Deus peccata Parentum in filiis mensuram ipsorum implentibus. Ex. XX. 5. Deut. V. 9. 2. Sam. XII. 14. Jer. XXXII. 18. vid. Opp. Feurbornii p. 239. Rivet. I. f. 248. II. f. 592. & Gomari f. m. 333

℣. 34.

Preterea quod hac ratione & via latronum incutritis judicium gehennæ ecce & attendite quæso meam longanimitatem, vestram crudelitatem pœnæque gravitatem ego Filius Dei, quem adeo itis oppugnatum Luc. XI. 49. mitto Missio præconibus verbi necessaria est, Jer. XXIII. 21. Matth. X. 16. XX. 2. Unde Legati audiunt 2. Cor. V. 20. ad vos Pharisæos totamque gentem Judaicam conf. §. 36. Prophetas futurorum gnaros Eph. IV. 11. qualis Agabus Act. XI. 27. 28. & sapientes qui caput salutis cognitionemque mysteriorum in summo gradu obtinuerunt 1. Cor. II. 6. III. 10. & scribas s. Doctores mediate vocatos, potentes in Scriptura Matth. XIII. 52. Eph. IV. 11. qualis Apollo Act. XVIII. 24. & ex ipsis nonnullos occidetis, ut Stephanum, Jacobum &c. & alios crucifigetis ut Petrum conf. Joh. XXI. 18. 19 & quos ex ipsis nec crucifigetis, nec mitius occidetis, flagellabitis in synagogis vestris adeoque non ob crimina forte civilia, sed ob doctrinam & confessionem Christi Matth. X. 17. Act. V. 40. XXI. 33. 2. Cor, XI. 24. 25. v. A. Pfeifferi A. A. p. 34. & quos non flagellabitis persequemini tamen è civitate in civitatem Act. VIII. 1. 4. 25. XI. 19. XIII. 50. XIV. 5. 6. Colligas inde gratiæ ubertatem, præscientiæ divinæ claritatem denique tum Ministrorum tum passionum inæqualitatem.

℣. 35.

Ut ὅπως non semper causaliter sumitur, sed quandoque & ἐκβατικῶς ac eventualiter, nec *tum* significat, sed potius *inde*. Matth. V 16. Rom. III: 4. veniat super vos, s. super caput vestrum conf. 2. Sam. I. 6. 1. Reg. II. 32. 33. omnis sanguis effusus super terrâ i. e. omnis cædis reatus atque

que pœna, conf. Levit. XX. 19. Jer. XXVI. 15. Matth. XXVII. 25. à sanguine clamante Gen. IV. 10. Abel per fidem Ebr. XI. 4. justi Christus ita Pharisæos perstrinxit ceu Caini filios imitatione, cujus quippe opera faciebant conf. 1. Joh. III. 12. Judæ ℣ 11. uti filii audiebant & diaboli Joh. VIII. 44. usque ἕως non semper tempus determinat præteritum, ut excludatur futurum Matth. XXII. 44. XXVIII. 20. Act. III. 21. 1. Tim. IV. 13. v. Glass. Ph. s. p. m. 705. ad sanguinem Zachariæ filii Jojadæ cognomine Barachiæ quem occidistis, imputat hic Christus toti Genti Judaicæ cædes à principio commissas conf ℣. 36. inter templum & altare ubi vindictam Deo resignavit 2. Par. XXIV. 21. 22. Nominavit ita Christus hos tantum duos, non ac si post Zachariam Deus nullius amplius Martyris sanguinem foret vindicaturus, conf. Ps. IX. 13. Ap. VI. 10. Sed placuit optimo ac sapientissimo Salvatori hæc duo adducere exempla Martyrum, quorum historia V. T. meminit, illius ante legem primo & secundo hujus sub lege, quorum quoque amborum sanguis vindictam efflagitavit. Citra omne autem fundamentum per Zachariam Propheta Minorum penultimus à Vatablo, Sanctio, Ribera &c. nec non ab Origine, Cyrillo A & Theophylacto Pater Johannis B. intelligitur. Neuter enim legitur occisus, nedum templum inter & altare. Majorum peccata integræ sæpius nationes luere debent. Gen. XV. 16. Ex. XVII. 14. 1. Sam. XV. 2. Jes. XIV. 21. LXV. 7.

℣. 36.

Certè ne minæ Christi securis Pharisæis fulgura viderentur tantum ex pelvi, is interposuit hic *Amen* Matth. X. 15. XVIII. 3. XIX. 23. Ebr. VI. 18. Carpzov. Isag. p. 1075. dico vobis ego, qui mentiri nescius ipsa veritas sum. Matth. XXII. 16. Joh. XIV. 6. Ebr. VI. 18. venient hæc omnia Matth. XXIV. 34. Luc XXI. 32. super ætatem s. generationem istam adeo malignam Matth. XII. 39. XVII. 17. Tam certa sunt judicia Dei grandia atque justa.

℣. 37.

Addit summus Propheta patheticam hanc prosopopœiam. Jerusalem, Jerusalem. Voluntas Dei antecedens, seria & resistibilis tamen vocandi & salvandi nolentes quoque ex hoc alias probatur oraculo, quod verò Reformati misere distorquent, dum per *Jerusalem* alios intelligunt antonomasticè, tantùm quippe urbis primores, quos solos fuisse Propheti-

cidas

cidas, & aggregationem filiorum à Christo intentam noluisse supponunt ex collatis ℣. 13. & 15. & per *filios Jerusalem* intelligunt iterum alios, solos quippe incolas civesque plebejos, quos tantum congregare Christus voluerit. Quod interpretamentum inde etiam colorant, quod mater à filiis & à pullis gallina realiter differt v. Collat. Hag. I. p. 230. Synod. Dordrac. p. m. 409. Gomar. Opp. f. 85. Molinæ Anatom. Armin. C. V. p. 34. & Walæum s. h. l. p. 261. Verum enim verò illam antonomasiam nec scripturis esse cognitam, nec solos populi Judaici primores ullibi nomine *Jerusalem* venire, demonstravit Dorscheus Patr. 1. Th. Zach. p. 27. Uti vero corpus politicum à membris suis materialiter non differt, nec totum à partibus, quibuscum potius idem est, ita *Jerusalem* suos quoque filios gremio suo comprehendit Luc. XIX. 43. vel, ut Augustinus loquitur, *omnibus Christianis in Ecclesiam concurrentibus filii ad matrem concurrere dicuntur, cum ex filiis congregatis constet ea, quæ dicitur, Mater.* Quæst. LIX. Octogint. Tom. IV. f. m. 563. Gemella prope annotavit ipse Rivetus in ps. XLV. 10. *In nuptiis terrenis non sunt eadem, quæ sponsam comitantur & ipsa sponsa. Sed in conjugio spirituali omnes amici & amicæ, sponsi & sponsæ sponsam constituunt. Quia sponsæ corpus mysticum est & aggregatum ex fidelium universo numero.* Tom. II. f. 230. b. Sic hoc quoque loco *Jerusalem & filii ejus* coincidunt materialiter ac unum idemque corpus constituunt aggregatum, quod contra fratres Dallæus porrò probat seqq. *Neque Prophetas quod Hierosolymæ Christus imputat, soli scribæ Pharisæique occiderant, neque soli viros ad se divinitus missos lapidaverant, neque soli Hierosolymitani illa domo, quod deinceps minatur Dominus, multati sunt. Suam fuisse & plebi in his tum sceleribus tum cladibus partem, vel Christi ipsius historia demonstrat, in quem istas sceleratissimi populi fæces haud multo parcius quam Synagogæ principes insaniisse legimus.* & perisse In Apol. p. 145. quæ occidis Prophetas Dei Neh. IX. 26. Luc. XIII. 33. Act. VII. 52. & lapidas ceu blasphemos ad te divinitus missos e. g. Zachariam ℣. 35. Nec hoc soli fecerunt Proceres, sed Judæi quoque reliqui, super quos sanguis etiam innocens venit. Quoties per omnes retro Prophetas, quæ æternus Deus voluntate maximè divina, diversis successive vicibus indicta conf. 2. Par. XXXVI. 15. Jer. XXXV. 15. XLIV. 4. Volui Hoc magnus Propheta dixit non tantum ut homo, quantulum quidem à Camerone concediturin Myroth. p. m. 91. sed ut æternus quoque Deus. Pridem enim misisse Prophetas congregatum Judæos ℣. 34. non est nudi hominis, sed ipsius sapientiæ Hypostaticæ Luc.

2. par. XXIV. 19. idr. VII. 25. 26.

XI. 49. Hæc maximè, utpote æterna congregationem Solymæorum toties voluisse potest, voluntate sc. non tam humana uti Twissus vult in Vind. f. 222. a. quam divina. De dictis Christi aliis quæri pariter posset, divina ne voluntate prolata sint, an humana? & sic in dubium vocarentur singula summi verè Prophetæ, qui nihil ex aut à se loquitur, sed veritatem, quam à Patre audivit. Joh. I. 18. V. 30. VII. 16. VIII. 26. XII. 49. XIV. 24. Omnia ἀποτελέσματα officialia sunt Θεανδρικὰ & ad naturam spectant utramque. Finge, voluisse Christum voluntate humana, divina autem noluisse, voluntas ejus humana divinæ erit contraria & peccaminosa, flagrantior etiam divinâ, quæ tamen ipsa charitas. Qnin imo qui aggregari noluerunt laude magis digni, quam pœnâ, quod voluntati divinæ paruerunr. Alii vim ac emphasin Oraculi hujus adeo pathetici aliter diminuunt. Embdanorum enim sententia in Synodo fuit Dordracena p. 738. quod congregare Christus Solymæos voluerit voluntate tantum signi non beneplaciti; Similiter & Turretin. perhibet voluisse Christum voluntate tantum præcepti, non decreti Part. I. Th. Elencht. p. 252. Quis verò voluntatem signi falsi interneque beneplacito contrarii, quis voluntatem præcepti decreto difformis, i.e. apertam hypocrisin sancto sanctorum tribuat citra blasphemiam? Uti verò glocitatio gallinæ cum interno maternæ στοργῆς affectu nunquam non congruit, eumque prodit semper, ita multo minus in Christo vanam oris ac cordis confingere discrepantiam fas est. Joh. VIII. 28. Denique apud Spanhemium hæc occurrit κυβεία d. Gr. univ. p. 1190. *Christus illos absolute voluit congregare, qui noluerunt congregari, vel conditionate. Si absolute, omnes fuissent congregati, si conditionate, detur ista conditio, quæ non recurrat cum re ipsa, & sive dicatur esse actus naturæ, sive actus gratiæ, quæstio redit & itur in infinitum. Et tandem huc redibit interpretatio istius volitionis, Christum voluisse tales congregare, si se congregassent, eos convertere, si se convertissent.* In neutro autem eorum robur est, nec quicquid Deus vult absolute, necessario evenit, voluit enim obedientiam Protoplastorum perennem absolute, quam tamen illi justo maturius abjecerunt. Nec omnis conditio cum re ipsa recurrit, aut ita itur in infinitum, nedum huc interpretatio redit volitionis illius, Christum voluisse tales congregare si se congregassent, sed ipso illos actu congregasset, nisi noluissent, convertisset, nisi obstitissent, non malitiosus obex autem congregationem positivamque sui conversionem nondum dicit. Congregare, Bellarmini observatio est, *populum N. Test. nusquam dici Synagogam, sed semper Ecclesiam*

clesiam. L. III. c. 1. de Eccl. Mil. T. 2. f. m. 106. Contrarium verò patere h. l. videtur ex verbo ἐπισυναγαγεῖν, quod ad vocationem tantum externam inefficacem minusque seriam restringit Wendelinus Ex. p. 1192 & 1197. Qua autem vocatione filios Jerusalem præ scribis congregatos fuisse atque conversos Reformati supponunt ipsi, quî ipsam vocare inefficacem & tantum externam audet Wendelinus? Uti enim dispersio vergit in perniciem populi Joh. XI. 50. 52. ita congregatio perfert sub alas gratiæ & ad vitam æternam Joh. V. 38. 40. filios non meos sed tuos nullibi solos Proceres, sed incolas promiscuè omnes notant filii alicujus civitatis, e. g. Babyloniæ Ez. XXIII. 15. Ninive Nah. III. 10. filii Zion Thr, IV. 2. uti gallina quæ non solo glocitationis signo, sed ex intimo quoque sincero ac serio flagrantissimæ στοργῆς affectu pullos suos æque omnes congregat sub alis ut contra milvum, eurum & imbres supercontegantur, validè foveantur ac penitissimè vegetentur. Quod Augustinus quoque Quæst. Evang. XXXVI. his observat verbis: *Quod difficilius in cæteris animantibus invenies, alis suis filios protegens contra milvum pugnat.* Tom. IV. f. 334. conf. Bochard. Hieroz. c. II. f. m. 125. & Voss. d. Idol. L. III. c. 84. p. 1181. & vos ita Christus non Hierosolymam filiis, sed utrosque opponit sibi, se quidem congregare voluisse, sed congregari & Hierosolymam, & ipsius filios noluisse. Cum enim Hierosolyma & ejus filii idem sint materialiter, illa nolente hos quoque noluisse liquet. Ut verò Christus & hos, & istam complecteretur usus est plurali verbo: noluistis repugnantia non tam naturali, quam affectata. Nec dixit: *Noluisti*, uti dixit: *Jerusalem, quæ occidis Prophetas*, qua ratione Reformatorum interpretatio foret speciosior, Christusque repugnantiam, absolutis filiis soli tribueret matri Hierosolymæ. Nec dicit *noluerunt*, ne culpa exculpatâ matre in solis hæreret filiis, sed notanter dixit *noluistis* &c. congregari tu mater Hierosolyma, & filii tui, uti & filios inclusit ad matrem dicens: Nescitis, quid petatis Matth. XX. 22. Verbum enim in secunda persona *noluistis* Hierosolymam, quam allocutus est, numerus verò pluralis ejus comprehendit filios. Culpa prætermissæ itaque salutis non in Deo quærenda est, sed transfertur in nolentes conf. Jes. XXX. 15. Jerem. XI. 10. XLIV. 16. Ezech. XII. 2. XXIV. 13. Matth. XI. 17. XXII. 3. Qui liberum inde arbitrium habere in spiritualibus ἀνακολούθως dicuntur à Salmerone s. h. l. & Bellarmino d. Grat. & L. Arbitr. L. V. c. 20. L. VI. c. 10. Tom. IV. f. 612. & 676. Non enim sequitur, homines sibi relicti possunt nolle salutem E. & velle possunt, nam Deus dat velle, nolle non item. Phil. II. 13.

NB Jer. XXII. 21. VI. 10. pV. I. 24. Act. VII. 51.

℣. 38.

℣. 38.

Ecce qui nullum exequitur judicium nisi prænunciatum. Am. III. 7 post voluntatem antecedentem versu antecedente adumbratam & judicialem h. l. pandit s. consequentem relinquetur finaliter vobis ob neglectam congregationem domus non amplius dicit *mea* ut Jerem. XII. 7. XXIII. 11. sed vestra per hanc multi totam intelligunt Judæam, Beda Hierosolymam, Hieronymus, Euthymius & Theophylactus maximè templum, cui Judæi nimium fidebant, Jer. VII. 4. Si autem scissio veli finem Oeconomiæ V. Test. minabatur Luc. XXIII. 45. quanto magis excidium totius templi & urbis? conf. Jer. XXII. 5. Luc. XIII. 35. XIX. 44. deserta sc. à Gratia Dei inhabitante Dan. IX. 26. Sanguine piorum salus populi adeo non stabilitur, ceu Caiphæ quidem visum est Joh. XI. 56. ut ruina potius integris inde urbibus immineat Gen. XIX. 13. 24. Ps. LXXVIII. 6. Jer. LII. 13.

℣. 39.

Dico ego ipsa veritas enim ob neglectam congregationem vobis quibus incredibile videtur domum quæ præsidium vestrum Jer VII. 4. destrui posse, non me videbitis à modo reducem, conf. Zach. XII. 10. Joh. XIX. 37. Ap. I. 7. donec, i. e. sæpe *nunquam*, ut 2. Sam. VI. 23. dicatis, nolentes, volentes, ut hypocritæ Matth. VII. 22. ut delitæ virgines Matth. XXV. 11. & damnati Phil. II. 10. 11. Benedictus qui venit in die sc. novissimo Matth. XXVI. 64. in nomine Domini. Noluistis vult Christus dicere Pharisæis, cum lactentibus in primo meo adventu excipere me ut Regem ex Ps. CXVIII. 26. Sed id facere in ultimo vos oportebit vel invitos conf. notas in Matth. XXI. 9. Curcellæo Instit. f. 323. reprobi in Adventu novissimo Judicem magis horrere videntur quam excipere ex Apoc. VI. 15. 16. sed utrumque simul eveniet, Benedictus qui venit dicent rebelles non tamen ore læto, sed cum summo horrore, quod hunc Regem suum non cum Hosanna exceperunt in primo Adventu, sed potius cum *crucifige*, atque ita futurum, *ut ipsum confiteantur inviti, & qui contemserunt in humilitate, agnoscant in potestate*, ceu Autor operis imperf. loquitur f. m. 715. Illis denique Auctoribus, qui apud D. Spenerum in Spe mel. temp. p. 109. hoc Christi vaticinium non de adventu ejus ultimo intelligunt, sed de insigni quadam Judæorum conversione interpretantur, ante seculi consummationem adhuc futura, obstat Christi scopus, qui non est, spem facere rebellibus Solymæis alicujus adhuc restitutionis, sed minari potius excidium finale, partim Adventus Christi, qui quantum ex Scriptura constat, in hujus demum universi incidet finem.

)o(